

August Varenius Johann Schröder

Consideratio Theologica Breviarii Passionalis & ex hoc Actorum Jesu in horto ante apprehensionem sc. Interprete Luca c. XXII. 43. 44. Angelicae Corroborationis Victoriosae Colluctationis Intensioris Precationis Sanguinei Sudoris

Rostochii: Kilius, 1666


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740047388>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 4.Apr. 1666

Varenius, Aug. /a



CONSIDERATIO THEOLOGICA
BREVIARIÏ PASSIONALIS

& ex hoc *v. univ. Scip. Varen. n. XLIX*

Actorum JESU in horto *16*
ante apprehensionem

sc. Interprete Luca c. XXII. 43. 44-

ANGELICÆ CORROBORATIONIS
VICTORIOSÆ COLLECTATIONIS
INTENSIORIS PRECATIONIS
SANGUINEI SUDORIS.

ipso DOMINO GLORIÆ CRUCIFIXO
vitam gratiamq; adspirant

PRÆSIDE

AUGUSTO VARENIO,

RESPONDENTE


JOHANNE Schrödern, Gulstr.

d. IV. Apr. ab hor. 8. mat. in Auditorio Majori
reciproca collatione decentiq; mysteriis
veneratione publicanda.



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. ANNO M. DC. LXVI.



Serenissimi DUCIS ac DOMINI
DN. GUSTAVI ADOLPHI

Ducis Mecklenburgici &c.
Ad præsentia Comitum Provincialia Legatis splendidissimis,
VIRIS

GENEROSISSIMIS, NOBILISSIMIS, atq; EXCELLENTISSIMIS

DNO. DIETERICO à LÜHE, S^r. Serenit^{is}.

Primo Ministro & Præsidi Collegii Status gravissimo,
Domino in Telchau & Buschmühle.

DNO. JOACHIMO FRIDERICO à GANS,

Confiliario Status meritissimo, & Domino
in Nemerovv.

DNO. JOHANNI CHRISTOPHORO
HUSWEDELIO,

Jcto & Cancellariæ Directori celebratissimo.

Domini Patronis & Mœcenatibus gratiosissimis,

D. D. D.

VIRI GENEROSISSIMI, EXCELLENTISSIMI, DOMINI COLENDI.

Elevitatis notam mihi impingeret, & injuria diem diceret ipsa Δίχην quæ suum cuiq; tribuit; si quod Vobis vestro debetur Jure, non facerem vestrum. Enim verò iis omnes omnia debemus, qui acerrimè in hoc incumbunt, ut adhibitis præsentissimis remediis, causarium ac stuidum Patriæ corpus curent. Eoq; nomine VOBIS hoc submisso mentis affectu oblatum, de dico: qui estis Atlantes Patriæ cordatissimi, qui Statores prudentissimi, qui Tutelares saluberrimi. Atlantes quia vestro subsidio suffulta, sibi jam nunc de pace certa gratulatur patria, quæ, aliquàm multis consistata, incommodis, perilitabatur. Statores, quia, tanta edidistis prudentiæ specimina, quanta, circa afferendam vel, dixerim, recuperandam Patriæ salutem gessistis: gessistis autem hæc singulari ratione, quæ humanitas rebus gratiam conciliabit promovendis, auctoritas pondus subdidit perficiendis. Tutelares quia, quicquid salutis habet patria, id obtinuit vestris adjutis studiis: quicquid felicitatis, id vestræ acceptum refert prudentiæ. Illa hæcenus ægrè Spiritum duxit, quia capita quasi à corpore dibulsa dissidebant. Vos morbum removistis, ut jam bene valeat sibi restituta. Tanta agnoscit beneficia Megapolis: hinc suum in Vos amorem spirat, totaq; conspirat. Eundem testaturus, hoc specimen magnæ gratitudinis, devotissimiq; pectoris, Vobis Patriæ Atlantibus, statoribus, Tutelaribus offero, humilimeq; dedico. Servet vos propitium Numen, vestrisq; semper consiliis & laboribus bened. cat!
Rostochii 24. Martii 1666.

Generosiss. & Magnif. VVV. Excellentiarum

Cultor humilimus.

JOHANN. Schröder, Gutrov. RESPONDENS.



APPARATUS

§. 1.

Penetrantissimum inter pulcherrima Servatoris in
 excellentissimo Canticorum philtro, ipsum AMORIS
 nomen est, quo non semel, præprimis autem in adjura-
 tionibus Filiarum Jerusalem per צבאות (est
 in his ipsum DOMINUM SABAOTH intellexit Chal-
 daeus) obtestatura sc. illas, ut venturum Messiam &
 non tardaturum patienter expectent & non turbent
 adeo apostolice tumultu, sub cunctationis prætextu s.

non expergefaciant illum AMOREM (אהבה) usque dum ipse
 voluerit vid. c. II. 7. c. III. 5. c. IX. 4. Messiam, cujus Oris spiritu ad-
 spirari optat, & cujus אהבה s. Amores omni vino suaviores prædi-
 cat, c. I. 2. osculatur Oratrix sanctissima, mulierum pulcherrima (Hujus
 enim de Dilecto, non Dilecti de Amicâ illud intercalare carmen est, in quo
 adeo, prout in ipso AMORE, imò per totum serè Canticum in אהבה,
 confusâ hâc voce cum distinctâ אהבה, & appositis inde contra hiero-
 glyphicum canticum, Uberibus, Dilecto, quæ Dilectæ servantur, c. I. 13. c. 4.
 5. c. 7. 4. 8. 9. c. 9. 1. 9. 10. erravit Vulgatus Latinus, etsi, quia alius etiam
 hîc imposuit, non solus)

§. 2. Illorum summorum Amorum divinorum conspectus hæc
 aliud Theatrum, quàm Passionis & mortis JESU CHRISTI est (ut frustra
 hoc neget & ex summo argumento iræ, summum documentum amo-
 ris s. Φιλανθρωπίας, & misericordie oppugnet blasphemus Socinia-
 nus, ac si hoc, quia non ex irâ, nec ex iræ placatione liceret præsumere) in
 quo, quomodo Deus Pater conspicienda præbuerit, & commendaverit mise-
 ricordie viscera (1.) loco præstandæ abs nobis solutionis, vicariam satisfa-
 ctionem acceptando, & ex thesauris sapientie suæ talem ordinando (2.)
 Mediatorem constituendo (3.) Filium unigenitum impendendo (4.)

A

eundem

2
 eundem ὑπὲρ ἀσεβῶν, ἐχθρῶν, pro execrabilibus inimicis, in execra-
 tionem s. mortem crucis tradendo (s.) per eundem Filium dilectionis
 peccatores reconciliando, omnibusque, justificationem & servationem
 abirā, per sanguinem Christi procurando Rom. V. 6 & 10. Job. III. 16.
 Rom. VIII. 32. 33. 2. Cor. V. 14. 15. 18. 19 Galat. III. 13. 14. 1. Job. IV.
 9. 10. Christus ipse, Johannes pectoris & dilectionis Discipulus c. XXI. 20.
 quig, solā Crucis Christi scientiā & gloriā estimari voluit 1. Cor. II. 2.
 Gal. VI. 14. Philip. III. 10. 11. Gentium Apostolus, locis allegatis de prædi-
 canti, hi etiam, mirificè, in illo eminentissimi amoris argumento triumphant.

S. 3. Nec solū, ob illos אהבה s. ineffabiles amores, in re-
 gali Crucis throno collocatus, ipsa sic irretractabili scriptura loquente, JE-
 SUS NAZARENUS REX JUDÆORUM, abstractè AMORIS voce, superla-
 tivum dilectionis gradum sonante designatur: sed & cum vexillo quodam
 Imperiali in Cantico representatur, quod, sive quoad inscriptionem, sive
 singulorum credentium confessionem contineatur in vocibus: עלִי אהבה
 i. e. propter (erga) me dilectio. 1. II. 4. c. V. 10. cujus hieroglyphici
 mysterium, quoad literam explicuit Paulus Galat. II. 20. Filius Dei DILE-
 XIT ME (עלי אהבה) & tradidit semetipsum pro ME Ephes. V.
 2. Christus DILEXIT nos, & tradidit seipsum pro nobis, oblationem
 ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantix (ubi, prout dilectio à
 traditione: ita & hæc & illa ab oblatione, & odore illo quem רִיחֵ
 הַכִּיחוֹר Mosès, Paulus ὁσμὴν εὐωδίας, appellat, inseparabilis, & tam
 vera ac propria est oblatio, quàm vera traditio & dilectio, nec per ὁσμὴν
 εὐωδίας negatur, mortem Christi sacrificium pro peccato seu
 תַּמָּתָה vel אֶשֶׁתֵּינִי fuisse, prout inductione Biblica, solis ex cruentorum
 specie Holocaustis & Irenicis titulum hunc apponi, argent, propriamque
 hic Christi ex immensâ illâ dilectione sacificationem negant Sociniani)
 Nec minùs Johannes Apocal. I. 5. Christus DILEXIT nos & suos os san-
 guine lavit à peccatis.

S. 4. Ostendit illam vexilli AMORIS scripturam sibi
 impressam, & proximus Apostolus Ignatius Epistolâ ad Roman.
 (hanc enim, non obstante quâdam turbidi ex additione, vel ipsarum Calen-
 darum misturâ, verè Ignatii esse credimus) ab ipso etiam Dionysio Areo-
 pagitâ in libro de divinis nominibus (etsi & hunc non sine ratione illius Dio-
 nysii esse dubitat Cajetanus, & nihil horum Dionysiacorum ante septimum
 seculum

seculum s. etatem Gregorii M. fuisse notum mundo, concedit Bellarminus) commendatus: Desidero, inquit, mori pro Christo. MELLS enim AMOR CRUCIFIXUS EST. Quos summos AMORIS amores passionales, dum nunc anniversaria veneratione recordatur Ecclesia, ad illos celebrandos & amores amoribus reddendos ex aurea regula Johannis 1. Epist. III. 16. 18. c. IV. 10. 11. excitanda quoque erit porticus Academica. Nec alio sine in Cantico canticorum Messia dilecti amoribus activis, subjunguntur amores passivi, quo ipse pulcherrimus diligitur a Virginibus (credentibus, quos mundo latentes ipse Deus novit) & quidem, post introductionem in conclave Regis, מרימא s. rectissime vid. c. I. 2. 3. 4.

§. 5. Quocirca sicut in Cantico Christus ligamini myrrhæ pernoctanti inter ubera Ecclesiæ comparatur, (respiciente ad bysinos ex liqore pretioso odoratissimos sacculos Regimarum vel deliciariorum, Cantici litera) dabimus primò Ligamen Myrrhæ universæ passionalis Theologicum: cumq. sudor Myrrhæ stacte sit, pretiosus & odoratissimus liqor, quo solo Myrrhæ odorem exspirat, ex ingenti illa Myrrhâ passionali seligemus dein odoratissimam stactem velut Myrrhæ cruorem, peculiari meditatione veneraturus SUDOREM CHRISTI IN AGONE ADMIRABILI SANGVINEUM, & ANGELICÆ CONFIRMATIONIS MYSTERIUM, comites sic ituri CHRISTO in Cantico c. IV. 6. clamanti: Donec adspirabit dies ille, quo fugient umbra illa (dies gloriose resurrectionis, umbris Leviticis letalis, ipse etiam Dæmonibus, quos hic in umbris intellexit Chaldaeus, tam exitialis, quam Domino gloriæ resurgenti triumphalis) ibo mihi ad montem Myrrhæ, & ad collem thuris: quod utrumq. nomen cum ad Hierosolyma, & montana Moria, quibus superstructum sanctuarium, 2. Chron. c. III. 1. (in quo adolendus quotidie erat suffitus aromatum, servandumque fragrantissimum unctionis sacrae oleum, cui utriq. parando ministrabat princeps materia myrrha, vel stacte, illi etiam thus purum vid. Exod. XXX. 23. 34.) Chaldaeus referat, admittere possumus, sic tamen, ut MONS myrrhæ & collis thuris tunc fuerit Hierosolyma, propter illam Ιεροσολυμοις Amoris nostri Crucifixi, quæ omni myrrhâ & puro thure magis tunc fuit ὁσµὴν ὁσώδης, imò, omnibus retrò in illo monte myrrhæ & colle thuris suffituum consecutus & adolitionibus virtutem conciliavit, ut ad eò itinerarium illud Dilecti, sibi in æterno Dei consilio impostum, eundi sc. ad montem myrrhæ & ad collem thuris, illud idem fuerit, quod

A 2

Apostolis,

Apostolis, ubi jam imminebat, Servator designavit Luc. XIIX. 31. 32. 33.
ECCE ASCENDIMUS Hierosolymam & perficientur omnia, v^{er}
scripta sunt per Prophetas! Tradetur enim gentibus, illudetur, contu-
meliis afficietur, conspuetur: & postquam eum flagellaverint, interie-
ment: sed DIE TERTIA RESURGET. Præmittimus nunc illud
Ligamen Myrrhæ passionis Theologicum s. ordinatum Breviarium
Historicum totius passionis & mortis AMORIS nostri crucifixi.

I.
BRÉVIARIUM PASSIONALE
ex

Concordia Evangelistarum
adornatum ordinatumque.

Historia passionis ὁλιγῶς & ἐν πλάτει sic dictæ, dividitur in
historiam Apparatus, & actuum principalium passionis, quos
quinque numerare licet, hoc versiculo designatos

§. I.
(1.) Hortus (2.) Pontifices. (3.) Præses. (4.) Crucis Ara. (5.) Sepulcrum.
Vel (prout Theologi quidam) distinguere, juxta tres
aras Servatoris sc. (1.) terrestrem. (2.) Lapideam. (3.) Ligneam,
ita ut πικρήματα Jesu in horto referantur ad aram 1. illa in Pontificum
& Præsidis Romani palatio, ipsoque adeo Prætorio (in quo memora-
tur etiam λιθόσωλον) ad aram 2. Cætera crucis, & post mortem in
cruce acta, ad aram 3. s. ligneam, habito respectu ad altaria Legalia
historiæ Mosaicæ, in quâ mentio (1) altaris terreni (cujus tamen usus
non nisi in ambulatoriis Israelitarum in deserto castris, & quod adeo pro-
ut extemporaneum erat: Ita post usum concidebat: quin & in locis Pe-
trofis, ubi cespites non aderant, lapideum esse poterat) Exod. XX. 21. 28.
c. XXIV. 4. (2) altaris lapidei Deut. XXVII. 6. Jos. IIX. 30. 31. (3) Ge-
mini lignei, unius, ære, alterius auro obducti, illius, Holocausti, hujus,
Thymiamati, vid. de illo Exod. XXVII. 1. 2. c. XXXIIX. 1. 2. c. XXXIX.
39. c. XL. 29. de hoc Exod. XXX v. 1. & seqq. c. XXXVI. 25. & seqq.
c. XL. 26. 27. ut tamen in ipso tabernaculo, & deinceps in templo non
nisi duo illa, æris & auri altaria obtinuerint. Quia nihilominus in omnibus
illis

illis altaribus sacrificatum, & quidem modo cruento, & ipsa adeo vis Sacrificii Mortis Jesu nec sacris in illo terrestri aliquando, & in Lapideo illo JHOSUÆ defuit, quin & mors Jesu Christi diverso respectu non solum **וְשַׁחַתְתִּים** : sed & **וְעַל יְרֵמְיָהוּ** fuit, atque adeo instar *Holocausti, Irenici*, etsi principaliter *sacri pro peccato s. veatu* Universitatis habuit, & omnes sacrificiorum V. T. species tam *cruentas*, quam *in-crueatas* eminenter absolvit, proinde, licet non fuerit ordinaria in V. T. & legalis sacrificatio nisi in his duobus altaribus, nihilominus in passionis & mortis Christi sacrificio, dari potest ad tres illas materiales V. T. aras respectus, imprimis, cum memorie hinc solum consulatur, ad quam analogia illa sufficit.

APPARATUS PASSIONALIS.

2. Historia apparatus continet acta præcipua, vel ante Eucharistici Sacramenti institutionem (quorum pertinet (1.) *ἐπιφάνεια* s. funeralis Jesu inunctio & mortis imminētis præfiguratio in facto mulieris, ab Apostolis vituperato, à Servatore defento & commédato Matth. XXVI. à v. 6. ad 14. Marci XIV. à v. 3. ad 10. Joh. XII. à v. 3. ad 9. (2.) Novissimi Paschalis, velut prædestinati *συνρωσίου*, intimatio, vid. Matth. XXVI. 1. 2. (3.) Novissima Judæorum de *prehendendo Christo & interimendo* consultatio Matth. XXVI. 3. 4. 5. Marci XIV. 1. 2. (4.) Judæ proditoris *exomologesis* s. de tradendo Judæis Christo, stipulatio Matth. XXVI. à v. 14. ad 17. Marci XIV. 10. 11. Luc. XXII. à v. 3. ad 7. (5.) Novissimæ cœnæ paschalis V. T. adornatio, & in hâc geminum Servatoris dictum, unum ad *comestionem agni*: alterum ad *distributionem paschalis peculi* vid. Luc. XXII. 7. 14. 15. 17. 18. Matth. XXVI. à v. 17. ad 20. & v. 29. Marci XIV. 25. qui adeo non ad Sacramentalem N. T. sed veteris Paschalis cœnam pertinet) Vel ipsius Sacramenti Eucharistici ad finem mensæ primæ paschalis instituti Conf. Matth. XXVI. 26. 27. 28. Marc. XIV. 22. 23. 24. Luc. XXII. 19. 20. Vel post Sacramenti N. T. institutionem (quò referenda juxta Joh. XIII. 2. 4. 12. 21 (1.) *πὸ τοῦ ποδῶν* s. pedum lotio, & hæc partim ut à Christo tunicato & succincto stante peracta Joh. XIII. à v. 4. ad v. 12. partim ut à Christo, palliato, & discumbente explicata Joh. XIII. à v. 12. ad 21. (2.) Determinatio s. individualis revelatio proditoris, & hujus, impulsore Satanâ contumata secessio s. egressio ibid. à v. 21. ad 31. conf. Matth. XXVI. à v.

21. ad 26. (3.) Blandissima Christi ad *ἑδρα*, post separatum sc. Proditorem, *Oratio*, & horum *confirmatio*, peracta partim à Christo *discumbente* Joh. XIII. à v. 31. ad f. c. XIV. partim à Christo *stante*. & ab hoc, vel, ut ad perseverantiam *adhortante* Capp. XV. & XVI. vel ut pro dono perseverantiæ potenter orante, eodemque tum resp. *Apostolorum*, c. XVII. ad v. 29. tum respectu *aliorum crediturorum* à v. 20. ad finem c. XVII. (4.) solennis *hymni* eucharistici, ab oratione illà Joh. XVII. distincti (contra, quàm sentit Grotius) *decantatio* & (5.) post *hymnum* ex coenaculo Hierosolymitano ad hortum traus kedron in regione Gethsemane *egressio*. (6.) In *itinerario illo nocturno*, Christi cum Petro de *imminente scandalo cunctorum Apostolorum* disputatio, conf. de his Matth. XXVI. à v. 30. ad 36. Marci XIV. à v. 26. ad 32. Luc. XXII. à v. 31. ad 35. Joh. 19. 1. Atq; inter hæc ventum ad HORTUM, primum, & eminentissimarum passionum Christi *Theatrum*. Et sic sequitur historia ipsorum *principalium actuum passionis & mortis Jesu Christi*, ac, juxta ordinem superiorem, ab *horto passionali*, *trans kedron* ad hortum sepulcralem *colibus Gogoltheis* vicinum, procedendo,

I. HORTUS.

I.

§. 3. Ad Historiam Jesu patientis in HORTO referenda (1.) post Discipulos *octo* in ipso aditu horti collocatos, *tres* intimius admissos, ineffabilis *mæroris anime* intimatio, & discipulorum, ex imminentiâ periculorum, ad *vigilandum & orandum* provocatio Matth. XXVI. 36. 37. 38. Marci XIV. 32. 33. 34. (2.) hypothetica & ardentissimè triplicata *calicis deprecatio* (3.) *Discipulorum dormientium* ter iterata correctio Matth. XXVI. à 39. ad v. 47. Marci XIV. à v. 35. ad 42. Luc. XXII. à v. 39. ad 43. & v. 45. 46. (4.) In agoniâ admirabili, *sanguinis* ad *ἰσχυρῶς* usque *exsudatio*, & Angelo ministrante, *confirmatio*, Luc. XXII. 43. 44. (5.) *Apprehensio* per injecta Christo vincula, cujus describuntur (1.) antecedentia (ubi occurrunt dicta Christi I ad turmam apprehendentem, & hæc vel *divinæ majestatis* Joh. XIX. à v. 4 ad 10. vel *Doctoralis autoritatis* & ex hæc, exprobratæ facti iniquitatis Matt. XXVI. 55. 56. Marc. XIV. 48. 49. Luc. XXII. 52. 53. II. ad Judam *osculantem* Matt. XXVI. à v. 47. ad 51. Marc. XIV. à 42. ad 47. Luc. XXII. 47. 48. 49. III. ad Petrum, *gladio* percutientem Matth. XXVI. à v. 51. ad 57. Marci XIV. v. 47. Luc. XXII. 49. 50. 51. Joh. XIX. 10. 11.) 2. Consequentia, ubi

memor

memoratur I. ipsa JESU *apprehensi Ligatio*, & ligati, per modum Latronis, *abductio* Joh. XII. 12. II. *Fuga Apostolorum* Matth. XXVI. 56. Marci XIV. 50. III. *Fuga Adolescentis* (etsi non de Apostolorum grege, nec ex domo Cœnæ paschalis Hierosolymitanâ: sed ex villâ aliquâ proximâ horto, strepitu militari excitati, & quid ageretur, curiosi) relicta persequentibus sindone s. nocturnâ veste Marci XIV. 51. 52. Et sic abicum HORTO, actusq; primi clausa cortina est. Sequuntur enim.

II. PONTIFICES & Acta coram his JESU.

§. 4. Sub hoc titulo, sequentia memorabilia notat Scriptura. II.
 I. Acta apud Hannam Joh. XII. 13. 24. II. Acta apud Cajapham ad quæ referenda (1.) tria Christi Apophthegmata (qualia (1.) responsum Christi ad Examen de doctrinâ & discipulis Joh. XII. 19. 20. (2.) Apologia responsi contra cœdentem Joh. XII. 22. 23. (3.) Confessio Christi ad examen de *Filiatione naturali divinâ* Matth. XXVI. 63. 64.) (2) *παθήματα*, quorsum pertinent *ψαδομαρτυρία* contradictiones, blasphemæ, colaphi, sputa, *παπίσματα*, varia alia ludibria, *condemnatio nocturna*, & *iterata matutina*, Judas desperans, Christum vendens, laqueum emens, Petrus ter & cum execratione abnegans Matth. XXVI. à v. 59. ad 69. & quoad ternum Petri *lapsus* ac *pœnitentiam* lapsi inde ad f. c. XXVI. quoad *Judeæ* autem desperationem c. XXVII. 3. & seq. conf. Marci XIV. à v. 54. ad fin. Luc. XXII. à v. 54. ad fin. capitis (conf. ibidem v. 66.) Joh. XII. à 15. ad 28. Et sic bis in pontificum judicio velut *blasphemie* & affectatæ divinæ majestatis, reus, damnatus, manibus ligatis, summo mane, ex *Palatio Pontificati* ad *Prætorium Romani Præsidis* est ductus, ut adeo, succedat nunc ex mne-

III. PRÆSES Pontius sc. Pilatus, & coram hoc Acta.

§. 5. Hæc considerantur vel I. Ante *Ἰνκρισιν*, quâ Pilatus crudelibus Judæorum postulatibus subscripsit (vid. Luc. XXIII. 24.) vel 2. quoad ipsam *Ἰνκρισιν*, vel 3. post illam *Ἰνκρισιν*. I. ANTE illam, ubi occurrit (1.) Christi per triplicatam *ἑσβολήν* Judæorum, *accusatio* Luc. XXIII. 2. Matth. XXVII. 1. 2. Marc. XV. 1. Joh. XII. à v. 28. ad 33. (2.) Christi ad manifestas calumnias tacentis ad Examen Pilati de se Rege regnoque suo nobilis *confessio* Joh. XII. à v. 33. ad 38. Matt. XXVII. à v. 11. ad 15. Marci XV. à v. 2. ad 5. Luc. XXIII. 3. 4. (3.) *Ignominiosa*

miniosa Christi (occasione iterata de seditione accusationis, & in hac Galilea mentionis vid. Luc. XXIII. v. 5. 6.) per plateas Hierosolymitanas (jussu Pilati) ad Herodem traductio (ubi acta describuntur (1.) à parte Herodis curiosè interrogantis (2.) à parte legationis Judæorum criminantis. (3.) à parte Christi tacentis (4.) à parte aulae illudentis & in splendida veste, per contemptum Regii nominis, ad Pilatum remittentis, (5.) à parte & Herodis & Pilati per Caput Christi amorem integrantis Luc. XXIII. à v. 6. ad 13.) 4. Christi cum Barrabâ famoso Latrone, & seditionis capite (ex more recenti Paschalis gratiæ) præsentatio, ac vehementissima per populum ἀναβοήσων & Christi justis & sanctis damnandi (per iteratum illud קרפיהו וקרפיהו f. אענ, סעברעס) & Latronis sibi condonandi expostulatio, Matth. XXVII. à v. 15. ad 19. & à v. 20. 23. Marci XV. à v. 6. ad 14. Luc. XXIII. à v. 13. ad 22. Joh. XIX. à v. 39. ad fin. conf. etiã Act. III. 14. 15. (6.) Iterata à Pilato (tum ex confessione innocentie propriæ, quã nullum Capital in Christo agnoscebat, tum ex instinctu mulieris, ex passionibus nocturnis Maritum à condemnationis sententiã dehortantis) postulationis illius recusatio vid. Matth. ibid. v. 18. 19. 23. Marc. ibid. v. 14. Luc. ibid. 20. 21. 22. (7) Pilati in tribunali sedentis de Christo flagris cædendo (non in partem pæne, ex more Romano: sed partim questionis amplioris, partim faciendæ popularis iræ, & commiserationis ergo) interlocutio, & ejusdem (non bis sed semel) facta executio Joh. XIX. 1 (quorsum pertinet Aristus Φεγγαλλώσος in Matth. XXVII 26. Marci XV. 15.)

§. 6. Successit flagellationi (8) in interiori prætorii (ἐσω τῆς αὐλῆς vid. Marc. XV. 16. cui opponitur locus Tribunalis, quod erat in exteriore stadio & appellatur ἔξω Joh. XIX. 5. 13.) crudelissima Jesu per simulacra regia (1. vilis purpuræ. 2. coronæ spineæ. 3. sceptri arundinei. 4. Sarcasticæ adorationis ac salutationis) & alia ludibria (πατις μασσῶα vel alapas, sputa, capitis obvelati per arundinem percussiones) Illusio Matth. XXVII. à v. 27. ad 36. Marc. XV. 16. 17. 18. 19. Joh. 19. 2. 3. 4. Successit 9. in exteriori Prætorii, duplicata Jesu Regis in illâ purpurâ & coronâ spineâ præsentatio, una, Johan. c. XIX. à v. 5. ad 13. Altera ibidem à v. 13. ad 16. Illius describitur (1.) finis, testimonium innocentie v. 4. (2.) modus, tum ratione Christi incedentis, tum ratione Pilati dicentis: EC-

CE HO-

MO v. 5. (3) eventus & hic vel à parte populi (1) clamor, *σαύρωσον* v. 6. (2) iudicium legale *blasphemie* in reū affectatæ divinitatis v. 7. vel à parte Pilati (1) iterata innocentiae confessio v. 6. (2) ad novam accusationem, nova Christi in Prætorium intimius reducti examinatio v. 8. 9. & cum nihil ad quæstionem *πῶς* s. UNDE, responderet Christus illi, qui confessus innocentem, verberari nihilominus in gratiam iratæ plebis jusserat, nec, quid sibi vellet Filii Dei nomen sive intellecturus facile, sive magis curaturus, erat, quàm suprac. XIII. 37. explicatum regni JESU, nati Regis & veritatis mysterium, (3) suæ Præsidis in JESUM potestatis objectio, v. 10. quâ occasione à parte Christi sequitur potentiae illius (Pilati sc. in Jesum) quoad originem singularissimi cœlestis consilii, explicatio, & (salvâ proportione graduum in Judâ procedente, Senatu Judaico morti adjudicante, populo conclamante) Pilati de peccato convictio v. 11.

§. 7. Hujus (s. secundæ præsentationis) describitur (1.) impulsiva, & hæc (1) à parte Pilati, consilium absolutionis v. 12. (2) à parte populi, iterata objectio *criminiis majestatis* s. affectati regni, ipsâ præsentatione diluenda: unde prout ibi auditum: ECCE HOMO! ita hic ECCE REX VESTER! Describitur (2) præsentationis forma tum per Pilati factum, tum dictum, v. 13. 14. (3) *ἐπιβουμένον* s. Eventus, qui describitur (1.) à parte Pilati, coram clamorâ seditiosaq; concione, ceremoniâ lotarum manuum de innocentia publica (et si quoad se, frustra & sic, ut hæc protestatione, post 8. innocentiae JESU confessiones, factus sit *αὐτοκατακρίσις*, & *ἀναπλόγη*) protestatio Matth. XXVII. 22. 23. 24. (2) à parte populi illud *ἄξιον ἄξιον, σαύρωσον* ingeminantis vindictæ divinæ in se suosque filios & seros nepores imprecatio Matt. XXVII. 25.

§. 8. Acta illa passionalia coram Pilato vel considerantur (2.) quoad ipsam *ἰδίαν* s. decretum Pilati tribunali insidentis, cujus describitur (1.) Occasio vel impulsiva proxima s. religio legis, & Regis objecta à concione seditiosa Luc. XXIII. 23. Joh. XIX. 7. 12. (2) actus ipse: s. decretum JESUM crucifigendi. Luc. XXIII. 24. (3.) proximum consequens, quod comparative describitur sc. Barrabas seditiosorum & Latronum Dux absolvitur: Jesus innocens morti crucis adjudicatur, & ad executionem sententiæ, in loco excelso, pro tribunali dictæ, militibus mo-

B

re Ro.

re Romano crucifigendus traditur Matth. XXVII. 26. Marci XV. 15. Luc. XXIII. 25. Joh. XIX. 16. unde & in Luca statim post *ἤκερσον* memoratur hæc *παρέδοσς* sc. (1.) Pilatus *ἔπεκενε* i. judicando decrevit Jesum crucifigendum v. 24. (2.) Eundem *παρέδωκε* i. tradidit (odio & sceleratæ voluntati Judæorum illum *χαρισάμεν* *εἰς ἀνάλειαν*, contra legem & morem Romanorum vid. Act. XXV. 11. 16.) ut extra portam crucifigeretur. v. 25.

§. 9. Videri sanè poterat, juxta Matthæum & Marcum sive (1) & *ἤκερσον* illam, quam solus Lucas meminit, & *ᾤξόδοσιν* (quam memorant singuli Evangelistæ) *ἰκτυσῶν* illis *ἐν πραιτωρίῳ*, & duplici illâ *παρουσίᾳ* Christi pro tribunali (quam solus Johannes describit) anteriorem fuisse, & sive utramq; , sive hanc saltem *ἰκτυσῶν* immediatè successisse (ita ut vel, simul *ἔμαστιγώσεν* i. flagellavit, statim *ἔπεκενε*, & post *ἤκερσον*, *παρέδωκε*, vel, ut post *ἤκερσον* illam jam factam & flagellaverit & tradiderit, atque sic *ἔδωκεν* *παρέδωκε*, prout habet Matthæus & Marcus) sive (2) duplicem dandam esse *ᾤξόδοσιν*, unam actis illis in Prætorio militari- bus, & consequenter præsentatione illâ duplici Christi pro tribunali, anteriorem (de quâ Matthæus & Marcus) alteram posteriorem (de quâ Johannes c. XIX. 16.) ita ut illa fuerit *sententiæ latæ*, i. ipsius *ἤκερστος*: hæc (post intervallum pœnitentiæ frustra datum) *immediatæ executionis*. Cœterum *ἰκτυσῶν* proxumè ante *ἤκερσον*, vel immediatè inter *ἤκερσον* & *ᾤξόδοσιν*, non convenit: sive illa facta dicatur *ex more Romano in partem pœnæ*, sive *causâ questionis & popularis mitigationis* i. pœnitentiæ: non illud: quia *ἰκτυσῶν* cruciariorum apud Romanos sequebatur & *ἤκερσον* & *ᾤξόδοσιν*: ita ut per eandem *sententiam* traderentur & *verberandi* & *cædendi*, vel *cruci affigendi*: non hoc: quia, quænam illa clementia, *commiserationis* concitandæ *causâ* *ἰκτυσῶν* innocentē, & statim sic *verberatum* *mortis crucis* *adjudicare*, ac ad *executionem* *tradere*? Sed nec videbatur *autoritati Præsidis Romani* convenire, per *ἤκερσον* i. *sententiam* pro tribunali latam Jesum publicè *mortis crucis* *adjudicare*, & post *ἤκερσον* sic factam statim

retracta

11

retractare, ac pro dimittendo Jesu ex iplo tribunali adeo apud popu-
lum laborare.

§. 10. Ceterum nec ulla necessitas duplicandi *ᾠδῶδων*,
ita ut alia in Matthæo, Marco (& Luca) alia intelligatur in Johanne:
cum &, quam illi memorant, fuerit *ᾠδῶδως ἵνα εὐρωσθῆ*, & adeo
pertinens ad immediatam executionem *sententiae crucis*, & non alia
quam *ᾠδῶδως εὐρώσεως* intelligatur in Johanne. Quia ergo so-
lus Johannes *acta hæc passionalia in pratorio*, jam inde à postulato *Barraba*
plenè describit (tacentibus de duplici illà præsentatione Jesu in
purpurâ & coronâ Matthæo & Marco: Lucâ autem nec de *præsentationi-*
bus his, nec de illis, quæ antecesserunt in *Pratorio*, *illusionibus militari-*
bus, quicquam memorante) ex hoc accuratissimus ordo rei gestæ pe-
titur, talis sc. ut conclamante populo in *Barrabam ut absolvendum*:
in Jesum autem, ut *crucifigendum*, *ἑισσῶς κελῶντι* vel *ἑναβοῶ-*
σωντι illud horrendum carmen: *JESUM ad crucem!* Pilatus adhibita
injurix juris specie Jesum pro tribunali flagellaverit (sperans secutu-
ram inde populi misericordiam) & licentiæ militari in *interiori parte*
aulæ l. Prætorii permiserit, inde iterum commiserationis & temperan-
dæ seditionis causa bis eduxerit, & per ipsam præsentati in *coronâ spi-*
neâ Jesu, velut nihil *majestatis* terrenæ ostendentis, præsentiam, à *fu-*
rore scelerati postulati, revocare populum, & sententiæ crucis ferendæ
Jesum innocentem eripere, omnibus modis laboraverit, omniaq; illa
egerit & dixerit, quæ habentur in Johanne c. XIX. à v. 1. ad v. 16. Tandè
autem, cum nihil his omnibus proficeret, furibundo populo *ἱκανὸν*
ποιήσας, succubuerit, & lento quidem satis: sed culpando nihilomi-
nùs pedatu iverit in *Ἰπικελσιον* illam (quam meminit Lucas) & *ᾠδῶ-*
δων εὐρώσεως l. sententiam, ex quâ *Barrabas* dimittebatur, *JESUS*
morti crucis ad judicabatur, quam paulò post excepit *edudio* Jesu, cum
longo satis intervallo antecessisset *Ἰπικελσιον* & *ᾠδῶδων*, ipsa
μαστιγῶσις l. flagellatio, quæ adeo pertinet ad *sessionem* Pilati pro tribu-
nali, ejus meminit Matthæus c. XXVII. 18. cum, hæc *Ἰπικελσις* &
ᾠδῶδως ad illam pertineat *sessionem in tribunali*, cujus meminit Jo-
hannes c. XIX. 13.

§. II. Quod ergo in Matthæo & Marco habetur *Φεραλ-*

B 2

λώσας

λάσας παρέδωκεν, explicandum ex Johanne, qui c. XIX. v. 1. ponit
κράσιν, & demum v. 16. *ᾠδόσαν*, inter quam utramq; justum
 datur intervallum, ex illis, quæ gesta ibidem memorat Johannes, adim-
 plendum. Sed & litera Matthæi & Marci pulcherrimè consonat sc.
cum jam antea flagellavisset, etiam ante illam, quam uterq; meminit, pro-
 testationem & *χειρὶ ψίω*, vid. Matth. XXVII. 24. 25. *tradidit*, ut
 adeo non opus immediatènectere *flagellationem eum traditione*: quia
tradidit, *Παραδώσας* sc. jam ante, & sic ut daretur intervallum, cu-
 jus acta quia planè tacuit Lucas, æquè ac ipsam *Παραδώσας*, satis illi
 fuit nominare *Πικρῶν* & *ᾠδόσαν*: quia, quoad *presentationem*
 illam duplicem Christi, præterire voluerunt Matthæus & Marcus, satis
 habuerunt, *flagellationem* memorare & *traditionem* (ita tamen ut in hæc
 illa supponatur velut jam ante facta) & sic copulare historiam ludi-
 briorum militarium, cum in *vestium Christi exuitione & chlamydis indui-
 tione* (Matth. XXVII. à v. 28. ad 31.) *in chlamydis exuitione, & ve-
 stium propriarum induitione* factâ propter *eductionem* v. 31. ut adeo il-
 lud τὸν in v. 27. Matthæi (eadem ratio Marci XV. 16.) non totum
 illud quod sequitur, designet factum post *ᾠδόσαν*: sed partem, ve-
 lut factum post *κράσιν*, quoad illa quæ habentur in Matthæo v
 27. 28. 29. 30. (in Marco v. 16. ad v. 20.) partim autem velut factum post
ᾠδόσαν, quoad illa quæ habentur in Matthæo v. 31. (vel in Marco
 v. 20.) Datur sic pulcherrima hæc Evangelistarum trium piorum
 cum Johanne consonantia, & manet una (1.) *κράσιν*, 2. *Πικρῶν*,
 3. *παραδῶσας*, & hæc utraque novissima Actorum Pilati in pratorio.
 s. 12. Considerantur itaque acta passionalia Prætorii (3.) post
 illam *Πικρῶν* & *παραδῶσας* s. *condemnationem & traditionem* JE-
 SU, vel *ante*, vel *post eductionem* Jesu morituri Hierosolymitanam. Ibi
 occurrit *coccinea Chlamydis exuitio*, & *vestium propriarum induitio*, cui
 immediatè successit, *Christi per milites*, futuros more Romano mortis
 exactores ex prætorio *abductio* Matth. XXVII. 31. Marci XV. 20. Luc.
 XXIII. 26. Joh. XIX. 16. Hæc, occurrit 1. ipsa Jesu extra portam *passio-
 nes* absoluturi (Heb. 13, 12.) *Exodus Hierosolymitana* (Dialogi jam olim
 Christi cum *Helîâ & Mose* in monte sancto materia Luc. IX 31. 2. *Exodi*
 illius concomitantia & hæc (1.) respectu ipsius Christi *αυτοφῶρα*
 s. *crucis*

s. crucem bajulantis. (2.) resp. *Simonis Cyrenæi fidelis* & fidelium filiorum parentis, instigatu Judæorum, jussu militum Romanorum in *onus crucis* Christo succedentis Matth. XXVII, 31. 32. Marci XV. 21. Luc. XXIII. 26. Joh. XIX. 17. (3.) resp. *turmæ & parvis Latronum* concomitantis Luc. XXIII. 27. 32. (4.) resp. *sexus scæminini Hierosolymitani* lamentantis (5.) respectu ipsius Christi, veras lacrymarum causas explicando, respondentis vid. Luc. XXIII. 27. 28. 29. 30. 31. & sic ad *colles Golgothæos*, velut illum *montem myrrhæ & collem thuris* (vocem *γολγοθᾶ* per *κερῆς τόπων* Evangelista ipse explicat, etsi in ipso nomine ad vetus illud *Gilgal* Jholuæ V. 9. propter typum *Opprobrii* infernalis non ab una gente: sed humano genere per Crucifixum Jhosuam in *hoc colle* ablati respectus mysticus) perventum, unde jam sequitur.

CRUCIS ARA.

§. 13. Ad historiam CRUCIS pertinet (1.) ipse actus *συνάρωσις*, seu DOMINI JESU in loco *Calvaria* vestibus exuti, corpore denudato, expansis brachiis, manibus ac pedibus per clavos transverberatis & ad *δίδυμον ξύλον* affixis, in aere inter cælum & terram in medio duorum Latronum suspensio conf. Matth. XXVII. 33. Marci XV. 22. Luc. XXIII. 33. Joh. XIX. 17. (2.) Concomitantia, velut (1) *vini myrrhati* (mentem exterminantis & aperiendo venas, & fluxum sanguinis augendo mortem accelerantis) præbitio (quod tamen felle myrraq; infectum vinum servator bibere recusavit, quia *ἀντιξέσιως* integrq; ad *ἐκπύδω* usq; mente mori voluit) Matth. XXVII. 34. Marci XV. 23. (2) duorum Latronum ab utroq; Christi latere crucifixio Mat. XXVII. 38. Marci XV. 27. 28. Luc. XXIII. 32. 33. Joh. XIX. 18. (3.) Tituli crucis Christi (in Schedâ, more supplicii castrensis, & nomen exprimente personæ & causam supplicii vel crucis sententiæ) irretractabilis & trilinguis appositio Matth. XXVII. 36. 37. Marci XV. 26. Luc. XXIII. 38. Joh. XIX. 19. 20. 21. (4.) vestium Christi partim per sortem, partim per scissionem in 4. partes inter 4. satellites mortis exactores divisio Matth. ibid. v. 35. Marci XV. 24. Johan. XIX. 23. (ubi imprimis *χιτών* s. *Tunica* Christi, velut super quam solam fors missa, descriptio v. 24.) Pertinent eò ill. *συνάρωσις consequentia*, & hæc triplicis classis sc. (1.) Christi crucifixi *παθήματα*. (2.) CHRISTI ex

IV.

B 3

fugge

suggestio crucis *ῥήματα* s. *Apophthegmata* (3.) Christi *ἰατρικὰ ἔργα*
s. *miracula*.

§. 14. I. *πικρὰ ῥήματα* illa dolorosa sunt Christo infligenda s. *mediate*, mediante ministerio & iudicio humano, quorsum, supposito jam *dolorosissima crucifixionis* & vini murrhati oblationis actu, referuntur (1.) Christi ex sanguinis profluxu & immenso cruciatu *suum* experti, per propinatum *hysopi* calamo, acetum amarissimum, potatio Matth. XXVII. 48. Marci XV. 36. Joh. XIX. 29. 2. Convictorum & contradictionum horrendarum à peccatoribus obiectarum perpetratio, quorsum referendi illi *blasphemi sarcasmi*, in *JESUM Dominum gloriæ Crucifixum* ejecti à (1.) *Judæorum* & *Sacerdotum* imprimis *proceribus* Matth. XXVII. 41. 42. 43. Marci XV. 30. 31. Luc. XXIII. 35. (2.) ab ipsis *Latronibus*: sc. initio ab *utroq.* Matth. XXVII. 44. Marc. XV. 32. novissime ab uno Luc. XXIII. 39. 40. (3.) ab excubitoribus *stratiotis* s. Romanis militibus Luc. XXIII. 36. (4.) ab ipso populo s. *spectatoribus* & *prætereuntibus* promiscuis Matth. XXVII. 39. 40. Marci XV. 29. Vel II *immediate*, & à iudicio *divino*, quæ omnia designantur *Derelictionis divine* (non simulatæ: sed *verissimæ*, & ipsarum adeo pœnarum infernalium experientiæ) vocabulo Matth. XXVII. 46. Marci XV. 34.

§. 15. II. *ῥήματα* vel eminentissima illa *Septem* de throno crucis *Apophthegmata*, quæ distinguuntur ex præcipuo respectu, qui in illis est sive I. ad alios *homines*, & hos vel *Generaliter* (in verbo I. quod est summi in ipsos etiam *crucifigentes*, *amoris*, & universalis *intercessionis* Luc. XXIII: 34.) vel *specialiter*, sive ad duo individua, sc. *Mariam matrem* (præter sororem *Mariam Cleopæ*, quæ à Matthæo vocatur *mater Filiorum Zebedæi*, & à Marco, *Salome*, præter *Miriam Magdalenam*,) & *Johannem sub cruce stantes*, (in verbo II. quod est gratitudinis & *Testamentariae dispositionis* Joh. XIX. 25. 26. 27.) sive ad unum *individuum* conversi *Latronis* (in verbo III. quod est *mediatorie potestatis* Luc. XXIII. 43.) Sive II. reflexus ad ipsum *Mediatorem CRUCIFIXUM*, qualis est in IV. verbis posterioribus, quæ vel sunt *extremæ infirmitatis* & *humilitatis*, & in hac, sive *angoris ex derelictione divina* ineffabilis (verbum IV. Matth. XXVII. 46. Marci XV. 34.) sive *exquisiti ex siti corporali doloris* (verbum V. Joh. XIX. 28.) vel sunt *triumphalis aurore*, & hujus tum resp. *absolutissimæ satisfactionis* (cujus testis s. *signum*

figaum illud Servatoris epinicion & verbum VI. ΤΕΤΕΛΕCΤΑΙ
 i. e. CONSUMATUM est: videns sc. ὅτι πῶνται ἤδη τελεσται Joha-
 nis XIX. 28. 30.) tum respectu *voluntariae & victoriosa mortis* s. ipsius
animæ jam nunc ἀπεξέσσιως expirandæ παρρησιαστικῆς & fiducialis in
 manus Dei Patris *Commendationis (depositionis)* Luc. XXIII. 46. (ad quod
 verbum VII. *circa horam nonam magnâ voce* pro clamatum, inclinato ca-
 pite quasi Vale dicto ἀΦῆκε τὸ πνῶμα prout habet Matthæus c. XXVII
 50. ἐξέπνευσε, prout Marcus c. XV. 37. & Lucas c. XXII. 46.
 παρέδωκε τὸ πνῶμα prout Johannes c. XIX. 30.) atque sic *cum po-
 zenti clamore* πρὸς τὸν δυνάμενον σώζειν αὐτὸν ἐκ θανάτου Hebr.
 V. 7. *Amor noster crucifixus*, expiravit, verè & realiter mortuus, & qui-
 dem, non tam, excruciatuum magnitudine, prout erant morituri La-
 trones, nec ex offifragio, prout his, post Jesum mortuis, mors accelera-
 ta, vid. Joh. XIX. 31. 32. Sed ex divinâ ἐξέσσιᾳ & autoritate, tunc,
 quando voluit, & ex mysterio typi & Consilii cœlestis congruum id, &
 tempestivum AGNO DEI macando fuit Joh. X. 18.

§. 16. Sequuntur III. *θαύματα* s. Christi morientis in cruce *miracu-
 la*, & hæc vel ante illam ἐκπνεύσων s. *Spiritus expirationem*, vel circa
 ἐκπνεύσων s. in iplo mortis articulo, vel post ἐκπνεύσων. Ad I. ὁ ἥλιος
 σκοποῖ εἰς I. *vera, realis, solis passio & per triborium obscuratio* Matth.
 XXVII. 45. & 2. *Latronis unius admiranda conversio* Luc. XXIII 40. 41. 42.
 43. Ad II. *iple clamor validus* s. boatus, in quo spiritum Servator emisit
 contra naturam cruciariorum morientium vid. Marci XV. 37. (2)
 ἄσμα & καταπέλασμα s. τὸ δὲ δάξεν, s. *icissum penitus à sum-
 mo ad imum ipsum sanctissimum velamen* Luc. XXIII. 45. Matth.
 XXVII. 51. Marci c. XV. 38. (3.) *motus terræ* (4.) *Petræ icissæ*. (5.)
monumenta sanctorum resurgentium aperta Matth. XXVII. 51.
 52. 53. 54. Ad III. (1.) *Centurio conversus & de Jesu Nazareno*
*pendente post mortem in cruce talis confessor auditus: ὧς (Mar-
 cus ἀληθῶς)* i. e. verè & realiter, HIC HOMO (ostento individuo
 Jesu Nazareni, prout tunc pendebat mortuus in cruce, cui ex adverso sta-
 bat tunc Centurio) *erat justus & DEI FILIUS*. Marc. XV. Luc. XXIII.
 47. Matth. XXVII. 54. (2.) *Stupor & religiosus timor spectatorum aliorum*
 Luc. XXIII. 48. (illorum imprimis, quorum mentio ibidem v. 49.)

3. My-

3. *Mysterium profluxus ex transverberato latere Sacramentalis, & in illo duarum Prophetiarum complementum, interprete, qui ἐωρακώς μεμαρτυρήκε* Johanne XIX. 34. 35. 36. 4. duorum præcipuæ dignitatis Virorum, velut futurorum pollinctorum ad curandum funus divina excitatio, quorum uterq; dives, alter βουλευτής s. urbis Hierosolymitanæ Senator, Josephus: alter etiam magni Synedrii Assessor exinde dictus ἀρχων s. Princeps. Et sic habet historia crucis, cujus hæc est quædam σύνοψις s. σωμαθποίησις. Sequitur

V.

SEPULCRUM.

§. 17. Ad historiam sepulturæ refertur (1.) corporis JESU exanimis (Josepho *audacter* postulante, Centurione mortem confirmante, Pilato donante) *impetratio, & clavis exermis de cruce depositio.* Matth. XXVII. 57. 58. Marci XV. 42. 43. 44. 45. Luc. XXIII. 50. 51. 52. 53. Joh. XIX. 38. (2) Honorifica sanctissimi corporis *curatio*, ubi repræsentantur personæ (1.) *Josephus & Nicodemus*, & hi partim, ut per *lintea & aromata pretiosa* ac copiosa (quæ inter & Myrrha) corpus exanime *curantes*, partim, ut illud in *μνήματι λαξευτῷ* s. *monumento rupi inciso & novo* (quod ipse Josephus in horto vicino colli Golgothæo sibi excidi curaverat) collocantes (Luc. XXIII. 53. Matth. XXVII. 59. 60. Marci XV. 46. Johan. XIX. 39. 40. 41. 42. (2.) *Mulieres* exequias Servatorie euntes, & locum sepulturæ probe observantes Matth. XXVII. 61. Marc. XV. 40. 41. 47. Luc. XXXIII. 55. 56. (3.) *Sacerdotum Principes & Pharisaicæ factionis senatores, custodiam sepulcri militarem*, (κρῆσιν δὲ juxta Theophyl. 60. militum) facile impetran-tes, & lapidem sepulcralem *obsignantes* Matth. XXVII. à v. 62. ad fin.

§. 18 Repræsentavimus *myrrham passionalem* integram in *ligamine* seu breviario Theologico accuratè adornato & locis probantibus plene legitimato. Dabimus nunc promissam supra *statem*, s. brevem ipsius *sudoris sanguinei Dilecti* patientis meditationem. Prout enim illa felicitis Arabiæ arbor, et si ipsa *eminentiâ & foliis* se commendat, tamen in primis ex *lacrymâ*, quam *guttatim exsudat, amarissimâ* quidem: sed in conservandis à putredine corporibus efficacissimâ & illo adeò *pretiosissimo odoratissimoq; liquore æstimatur*, quæ STACTE appellatur (quomodo ipsius corporis JESU *σμίξις* sumtuosissima sanè & qualis non nisi magnatum, prout olim *Jacobi à Josepho* hujus *Josephi*

phi typo, corporibus adhiberi solita, pollinctura, myrrha & aloes, ad centum usq; libras, pondere, non nummo aestimandas, signum & opulentiae Nicodemi, & non parci affectus, celebratur in Johanne c. XIX. v. 39. ut tamen tunc non unxerint: sed, cum propter temporis angustias in proSabbatho Paschali ungere non possent, propediem legitimo tempore uncturi, aromata corpori JESU sindonijs, eidem, in qua involvebatur corpus Jesu apposuerint & involuerint vid. ibid. v. 40.) ita Servator in passione ubiq; quidem se myrrham ostendit: sed imprimis illam stacten in sanguine, & sub illo hieroglyphico exsudantis Myrrha liquoris, non tam in illo, quem flagra & corona spinea in Pratorio, vel clavi in cruce effuderunt, quam in illa *Ἰσομείωσα* sanguinis exsudati in horto, velut Primario passionum Christi Theatro. Quod ergo pulcherrime Graeci expresserunt in Cantico c. i. (*רומה ררר*) *Ἀπόδεσμο* *ἡ* *σακχῆς*. e. Ligamen lacrymae myrrhae, vel sudantis stactes, illud nunc representabimus. Faxit autē idem Amor noster, ut & ille myrrhae odor nobis singulis sit *ὄσμη ζωῆς εἰς ζωῆν!* Redeundū sic nobis est ab horto (funerali) ad hortū (passionalem) *πέραν τῆς χειμάρρος* (trans torrentem pedibus olim Davidis palantis transitum) *τῶν κέδρων* (ex qua penacutā *margines torrentis cedris confitos fuisse & ab illa cedri specie, quae *סורק* dicitur Thalmudistis, torrenti nomen, haut obscurorum virorum sententia, etsi in vocabulo Chaldaico errant) quem hortum partem fuisse *villae Gethsemani*, & ordinarium tunc in primis Jesu Oratorium, ex Mattheo & Johanne constat. Ibi enim capi maluit, quam in coenaculo Hierosolymitano: ibi adeo prima occurrunt Servatoris acta passionalia, quorum summam compendio descripsit Lucas. Igitur est*

II.

Summarium praecipuorum Actorum Jesu patientis in horto ante apprehensionem.

Luc. XXII.

Textus 43. *Ἄφθῃ δὲ αὐτῷ Ἄγγελος* *ἄπ' ἕραν* *ἐσιγύων αὐτόν.*
 authen-44. *καὶ γενόμενος* *ἐν ἀγῶνι* *ἐκτενέστερον* *ᾠροῦν χεῖρ.* *Ἐγένετο* *ἵ ὁ ἰδρῶς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος* *καταβαίνοντες* *Ἰπὸ τὴν γῆν.*

o

Syrus

Syrus 43. וַאֲחַזְוִי לָהּ מַלְאָכָא מִן שָׁמַיָא דְמַחִיל לָהּ
 44. וְכִרְ הוּא בְרַחֲלָתָא תְּכִיבָתִית מִצְלָא הוּוּ
 וְהוּוּ דוּעֵרָא אִיךְ שְׁלָתָא דְרִמָּא וְנָפַל עַל
 אַרְעֵי:

i. e.

Tremell. 43. *Et conspectus est Angelus de caelo corroborans eum*
 interp. 44. *Et cum esset in timore instanter orabat. Et factus*
est sudor ejus tanquam demissiones sanguinis & ce-
cidit super terram.

Beza 43. *Conspectus est autem ei Angelus de caelo cor-*
 & *roborans eum.*

Piscat. 44. *Et ipse constitutus in angore intentius ora-*
bat. Erat autem sudor ejus quasi grumi san-
guinis descendentes in terram.

Vulg. 43. *Apparuit autem ei Angelus de caelo confortans eum*
 44. *Et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus est*
sudor ejus, sicut guttae sanguinis decurrentes in
terram.

Germ. 43. *Es erschien ihm aber ein Engel vom Himmel /*
 verf. *und stärckete ihn.*

Luth. 44. *Und es kam, daß er mit dem Tode rang / und be-*
tete hefftiger. Es ward aber sein Schweiß wie
Blutstropffen / die fielen auff die Erden.

Belg. 43. *Ende van hem wierdt ghesien een Engel uyt*
 verf. *den Hemel / die hem versterckte.*

v. 44. *Ende in swaren Strydt zynde / badt hy te*
ernstiger. Ende syn sweet wiert gelyck groote
droppelen bloedts / die op de aerde afliepen.

I. *Analysis Logica s. textus Orthotomia.*

S. 1. *Thema S. Spiritus in hac Lucae pericopa Evangelica est: Jesu*
in arâ terrettri (s. Horro) pro transferendo passionali calice peccatoris,

nom

non solum ex metu mortis imminenti: sed & doloroso sensu terribilissimi iudicii & supplicii presentis, ineffabilis agonia: ubi describitur (1.) agonie effectus s. modi & gradus agonia signum sc. defluens in terram sudor sanguineus: sed per modum Προβώσεως s. grumorum concretorum. (2.) Oppositum illi agonia firmamentum, & hujus impetrationis duplex instrumentum, unum à parte Dei, ANGELI apparentis ministerium: alterum à parte MESSIÆ luctantis, intensius Oratorium s. precum illarum intensius etiam exercitium, ut adeo in univertum 4. hic designentur insigniores in Horto actus I. AGONIA Christi ineffabilis. II. Orationis Christi gradus inenarrabilis. II. sudor sanguineus admirabilis IV. confirmatio Angelica DOMINI GLORIÆ inexplicabilis.

II. Epicrisis Philologica.

I. Ουρανίου ὀπασία

ANGELI corroborantis.

§. 1. Illud ὡφθη αὐτῷ probat sic apparuisse, ut ipse Servator viderit ANGELUM τὴν ἐπιχούρη (quem GABRIELEM fuisse ex attributo ἐπιχούρη, & analogiâ Dan. II. 16. 18. IX. 21. 22 26. Luc. c. I. II. 19. 26. piâ probabilitate colligitur) planè prout Sacharias Gabrielem Luc. I. II. Tres Viri Apostolorum Principes Mosen & Eliam in monte Luc. IX. 31. quia dicuntur ὀφθέντες ἐν δόξῃ, Saulus Jesum Nazarenorum in viâ Damascena Act. IX. 16. c. XXVI. 16. & adeo non tantum ἤκουσ: sed & εἶδεν Jesum Nazarenum, & quidem oculis corporis Conf. c. XXII. 14. c. IX. 7. Ita in quadragesima resurrectionis Servator fuit ὀπαινόμενος Discipulis E. hi fuerunt ὀπόμενοι s. videntes Act. I. 3. Act. XIII. 31. Ita Deus Abrahamo Act. VII. 2. Angelus foederis Mosi c. VII. 26. 30. 35. Vir Macedo nocturnus Monitor Paulo Act. XVI. 9. Ita Apostolis in solemnè Pentecostali ὡφθησαν λαμπερομένοι γλώσσαι Act. II. 3. E. non alii in Apostolis: sed Apostoli ipsi viderunt illas Lingvas igneas, etsi priori modo Lutherus reddidit. Ita Deus incarnatus est visus Angelus: ille ὡφθεις E. hi ὀπόμενοι s. videntes 1. Tim. III. 16. Alia ratio positus ἐρρεθη τῆς δεχάρις Matth. V. 21. 27. & seqq. quod non, prout vult Beza, resolvendum per: ἰσὸς τῆς δεχάρις, ut sic



ut sit idem quod: *Dictum est ab antiquis, vel ipsi Antiqui dixerunt:* sed *ὡς τὰς δεχάϊς* i. e. *Dictum est ad antiquos, quomodo recte noster Lutherus: Ihr habi gehöret/ daß zu den Alten gesagt ist.* Nec aliter Commentatores veteres: & recte quidem. Verbo sc. *dicendi* adjunctum nomen *δοκίης πώσεως* s. *casus dandi*, non est *dicenti*: sed *audientis* s. illius ad quem dicitur, & adeo illi *δεχάϊοι* se habent in ordine ad dictum majorum, prout Apostoli in ordine ad dictum Christi. Ita dictum est *δεχάϊοις*: Ego autem dico VOBIS. Alia ratio, si esset *ἡκέσθη τοῖς δεχάϊοις*. Sic enim foret exemplum parallelum, & simili modo resolvendum. E. illi *δεχάϊοι* sunt *ἀκρόντες*. Marc. II. 1. Act. II. 12. prout in superioribus I. Cor. XV. 5. 6. 7. Hebr. IX. 18. Apoc. 1. 7.

§. 2. Quin non solum, non apparuit Apostolis, sic ut *hi intelligantur vidisse in Christo Angelum ἐνιχύοντα*: sed nec ex textu probatur, *Apostolis visum Angelum*: quia non dicitur *ὡφθη αὐτοῖς*: sed *ἀψω*. Prout e. in *spectaculo gloriae* Matth. XVII. 5. creditur *Mosen & Eliam non soli Christo: sed & tribus illis Apostolis* (qui iidem hinc sunt *Spectatores Christi patientis*) apparuisse, & abs his singulis visos, quia dicitur *ὡφθησαν αὐτοῖς*: Ita contra, quia hic dicitur, *ὡφθη ἀψω*, rectius infertur: ANGELUM illum *τὸν ἐνιχύοντα soli Christo in agonia visum*, pro quo facit quoque *omnis Apostolorum etiam illorum trium intimioris admissionis Discipulorum COLUMNARUM* s. *τῶν ὑπὲρ λίαν Αποστόλων* conf. 2. Cor. XI. 5. Gal. II. 9. quos à *confirmatione & agonia* surgens *Servator, velut somnolentos, imò βεβαρημένους* vid. Marci. XIV. 39. 40. ipso etiam *Petro non propter prerogativam monarchicam* (prout vult *Bellarmin.*) sed *priorem oblocutionis audaciam*, s. *constantiam jactantiam*, nominaliter compellato, ex æquo redarguit: nec caret ratione, quod hanc *ὀπλισίαν ἑράνιον* non *Matthæus: nec Johannes* etsi intimius tunc *admissus: sed solus Lucas* extra collegium *Apostolicum* positus descripserit.

§. 3. Illud *ἀπ' ἑρανῶν* in formâ referendum magis ad *prædicatū ὡφθη*, quam ad *subjectum*, ac si sit *Ἄγγελος ὁ ἀπ' ἑρανῶν ἐνιχύων*, vel *Syriacè: נִימְשׁ נַמְרַ נְכַנְלִמְ* sive ut sit *Angelus de caelo, corroborans*

roborens eum מלמכנ רמן שמונ מחר לל; prout aliud est : ὁ πατήρ ἐξ ἑαυτοῦ δώσει, quam ὁ πατήρ ὁ ἐξ ἑαυτοῦ δώσει Luc. XI. 13. Licet ergo dubium nullum, quin & ille Angelus fuerit celestis, & illa ἰχϋς, s. robur illud, ἀπ' ἑαυτοῦ, tamen in formâ pertinet ad ὠφθη, prout Syriace מן שמונ מן חרות conspectus est de cælo. Principium adeo notatur & ὀψιασίας illius, & ἰχϋς Ⓞ cœlestis, & ipse Angelus quasi κατεβὰς ἐξ ἑαυτοῦ in hortum passionalem ad ipsum Christum confirmandum, prout deinceps in resurrectione memoratur descendisse in hortum sepulchralem, imo in ipsum crucifixi resuscitati monumentum ad resurrectionem intimandum Matth. XXIX. 2. Distinctio numerorum in cœli vocabulo Angelis apposita, ac, si plus majestatis notaretur per Angelos cælorum, quam Angelos cœli, non adeo solida ostenditur ex collatione paralleli loci Matth. XXIV. 36. Marci XII. 32.

§. 4. Illud ἐνιχϋών, non dicit solam ἰχϋς Ⓞ s. divine majestatis Christi Angelicam celebrationem: sed veram ac realem ἰχϋς Ⓞ in illâ Agoniâ collationem. Neq; ullibi Angeli vel sancti in cœlis dicuntur ἐνιχϋέειν Deum vel Agnum, qui tamen totiens præcones sunt ἰχϋς Ⓞ Agni per Canticum jubileum conf. Apoc. V. 12. c. VII. 12. Facit hoc contra formulam confirmationis Angelicæ, quæ est apud Theophylactum & alteram apud Liranum, ac si tantum ob ministerium Deo præstandum & fidem Discipulorum confirmandam apparuerit. Porro modus corroborationis illustrari quidem potest exemplo Danielis ab Angelo corroborati, & quidem à Gabriele conf. c. VIII 16. 17. 18. & c. X. 17. 18. 19. ubi & idem Verbum פִּינִי in Græcis ἐνιχϋέειν: cæterum ut in Exemplo præsentis sit modus specialis, & ipse actus corroborationis prout ineffabilis, ita planè alius & sublimior, æquè ac incomparabiliter eminentior fuit perturbatio s. consternatio præfens Christi, illa Danielis ad solam Angeli præsentiam vel audientiam sic turbati:

II.

ΑΓΩΝΙΑ Lucta Jesu in horto

§. 1, Prout ipsa ἀγωνία, πρῶτως notat certamen s. luctam, δευτέρως timorem luctaturi s. in nobilem agonem descensuri, κατὰ χερσίν, quemcunque timorem: ita hîc prima illa & primaria lucta &

G 3

certaminio

certaminis significatio rectè retinetur, & præferendæ adeò versiones Lutheri Germanica & Belgica.

§. 2. Quin, si in tertiâ suppositione sumatur, nihil singulare summi illius *mæroris, angoris, agonis, consternationis* expresserit Lucas, certè nil par vocabulis, quibus alii utuntur Evangelistæ, terribilibus. Si in secundâ, ita ut solum dicat *timorem certaminis* instantis (nisi ad *gradum certaminis* in cruce summum s. *derelictionem* referas) minùs convenit huic: benè autem alteri loco Lucæ XII. 50. & illi adeò *συροχῆ* ob futurum *baptisma* passionis vel sanguinis. Tunc enim, quando Christus *ἐκτενέστερον* *precator* sanguinem sudabat, jam erat in *agone* & congressione pugnæ. Si dicatur notari *angorem* s. *timorem* concomitantem, qui sc. manet etiam in inchoato *agone*, sic ut connotetur *agon* ipse, & significetur vel *ἀγωνία ἐκδομῆς* Ⓞ, vel *ἀδημονία ἀγωνίζομένη*, vel *θάμβος ἀγωνίων* Ⓞ, vel *ἀγὼν ἀδημονῆς* Ⓞ, jam facilè conciliantur omnia: scilicet *timor* ille, qui datur in hâc *agonia*, est magna *agoniæ* pars, & adeò non habet se sicut *timor* ille, sive antecedens sive concomitans *pugnam* luctatoris, cui planè contradistinguitur: quippe qui hîc datur, non est *ex agone*: sed ipse potius *agon* ex hoc est *timore*, cum ibi sit *timor* ex *agone*.

§. 3. Prout sc. jam antea *precator* Christus, sed nunc *ἐκτενέστερον*: ita jam antea quidem expertus est *λύπην*, imò & *ἀδημονίαν*, *θάμβος* Ⓞ Matth. XXVI. 37. Marci XIV. 33. (ἤρξατο ἰ. λυπεῖσθαι 2. ἐκδομῆσθαι 3. ἀδημονεῖν Luth. rectè, ex *sing an zu trauern/ zu zittern/ und zu sagen*) Sed nunc adeò illa crescunt, ut cum hæcenus his *angoribus* ex respectu beneplaciti *ὁσμῆς εὐωδίας* oblectatus esset Christus, nunc hi vehementiùs insurgant in ipsum Christum, & jam reciproci *agon* sit, imò ex parte humanitatis ad iudicium irati Dei respicientis vehementissimus. Hinc illæ Christi lacrymæ, & precum gradus. Hinc ille excludatus toto corpore sanguis grumosus! Heb. V. 7. Licet autem non dicatur *γινόμενος*: sed *γενόμενος* Ⓞ (Vox quippe *ἐγενόμην* in indicativo & participio semper est præteriti temporis) tamen sic per vocem hanc supponitur in *agoniâ* Christus, ut post corroborationem Angelicam non cessaverit.

§. 4. Complectitur adeò vox *agoniæ*, tria illa vocabula Matthæi

ῥηται

thæi & Marci, in quorum primo (λυπῆσι i. e. dolore animi confusi & egritudine distrabi) notatur pœna damni, s. carentia lalutaris sensus & gaudii: in secundo (ἐκταμβέεισι i. e. stupore totum corpus & singula membra attonante seu penetrante percelli) pœna sensus: In tertio (ἀδημονεῖν i. e. adeò angī, ut ex fastidio vel horrore quis omninò collabarur, vel quasi exanimetur) ipsum designatur ἐκβησόμενον s. eventus, illa omnia continentur in agonia eminenter quatenus sc. jam in voluntatem humanam voluntati divinæ subordinatam ingenti luctâ desperationis agunt, sic tamen, ut vincat voluntas divini beneplaciti.

§. 5. Illustrant nihilominus ἀγωνίας significata quæ reperiuntur apud ὄντιν ἐξω, etiam historiam præsentem s. quæ in hæc, agoniæ, vocem. Talis sc. timor hæc voce apud profanos notatur qui est pulcherrimum & memorabile (quod periculo non caret) facinus aggressuri, & qui magnus quidem est, & magnorum Heroum: sed tamen ut non horum fortitudinem expugnet. Conf. Arist. in pr. Demosth. Philippum dicens fuisse ἐν πολλῇ ἀγωνίᾳ. Ita apud Homerum, interprete Porphyrio aliis Trojanis ad hostium conspectum tremantibus & sædè fugientibus, Hæctor quidem, ἡγωνία i. e. anxius erat: cæterum sic ut nihilominus esset ἐν τῷ κινδύνῳ καὶ θανάτῳ ἀνδρῶν, s. consisteret, & ad instar Viri in periculo pectus hostibus objiceret. Ita Servator hic anxius, cum morte & desperatione luctatus, ut staret tamen in Campo victor & desperationem, mortem, infernum Diabolum vinceret. Ita Hebr. V. 7. Servatori tribuitur δὲ λέειν i. e. timiditas circumspècta, qua quis ad res aggrediendas, sive in illis, quas jam aggressus est, sic utitur, ut consideratè & intelligentè agat, qualem in Christo fuisse testatur illud ἡρῶα ὁ λυπῆσι vid. supra.

III. ΠΡΟΣΕΥΧΗ

I.

Christus in agoniâ intentius orans.

§. I. Illud ἐκτενέστερον sic dicit gradum precum extensivum, ut hic imprimis notet intensivum. Illud radici deberur, cui inest signifi-

significatio *extensionis*: hoc usui adverbii ἐκτενώς quod est intensio-
nis. Ita ἐκτενώς ἀραπαῖν & ἀρόπη ἐκτενης 1. Pet. 1. 22. c. 4. 8. Nec
adeo tam hinc magnitudo precum Servatoris æstimanda ex gradu tem-
poris, quam fervoris & vehementissimæ precum *contentionis*, prout
hæc iterum ex *vehementiâ angoris*.

§. 2. Nec dicitur ἐκτενέστερον ἤυχες: sed προσήκετο.
scilicet ille comparativus magis convenit προσευχαῖς, quàm
ἔυχαις, etsi quâ ratione προσευχαί, δεήσεις, ἐπέυξεις distin-
guuntur aliquando, preces hæ Christi non fuerunt solum προσευχαί;
sed & δεήσεις, ἱκετηρίαι conf. Heb. V. 7.

§. 3. Prout signum crescentis agonis, ἐκτενέστερον ipsarum
precum: Ita intensiois precum signum, gestus. Equidem in preci-
bus Lucas XXII. 41. Servatori non tribuit nisi γονυθυσίαν s. genuum
flexionem: Matthæus autem c. XXVI. 39. Marcus c. XIV. 35.
προσκύνησιν, per totius corporis in terram prostrationem, quæ non con-
fundenda: sed ad distinctos actus referenda, accuratior Evangelistarum
inspectio docebit. Neq; verò dubium, quin prout habuerunt incre-
menta agonis, & in hoc precum: ita quoque precatoris gestuum: ut
adeo qui, simul ἤρξατο λυπεῖσθαι s. cepit tristari, in genua prolapsus pri-
mas illas in horto preces peroravit, crescente mærore, in ipsâ agonid s.
agone, jam totus in terram prostratus, Oratorem apud Deum egerit. Et
sic etiam ex gestu (qui non nisi extremâ necessitate precantis est) con-
stare potuit illud precum ἐκτενέστερον. Quò vehementior agon fuit
patientis, eò vehementior agon precantis, & quanto hic intensior
tanto magis se ostendit per signa luculentiora: unde qui ibi precatus
est θείας τῆς γνάμης, hic, πεισὼν Ἰπὶ πρόσωπων αὐτοῦ.

IV. ΙΩΡΩΣ

Sudor Sangvineus.

§. 1. Apud Stoicos λύπη quasi λύσις est, quod sic quædam
Spirituum & ipsorum oculorum in lacrymas solutio: unde ut pluri-
mum conjuncta sint λυπεῖσθαι καὶ δάκρυα χέειν i. e. tristari, & la-
crymas fundere, quod ubi sit vehementissimè, dicimus sanguinem flere,
quàm paræmiam in h. l. notavit quoque Theophylactus. Certè in
hæc

hâc agonia & λύπη Servatoris, vera fuit λύσις & tanta, ut non solis oculis: sed toto corpore quasi lacrymatus sudorem sanguineum fuderit

§. 2. Notavit (1. de morb. vulg.) Hippocrates (1) sudorum maximam considerationem habendam (2.) attendendumq; imprimis ad terminos unde cæperint, & ubi cessaverint (3.) nec minus ad colorem. (4.) ad tenuitatem, sive crassitiam: τὰ ἰκτιόντα εἶδεναι, ὅθεν ἤρξατο, ἢ ὅπου ἐπαύσατο, τὰ ἢ χρώματι, ἢ ἢ λεπρότητι, ἢ παχύτητι.

Notavit idem alibi (5) ἰδρωῶδες σφοδρὲς καὶ παχέας ἰπικινδύνους i. e. sudores vehementes celeres periculosissimos esse, minutos, salutare: ἰδρωῶδες οἱ κροῦ καὶ μικρὸν ὠφέλειουσιν, οἱ δ' ἀθρόα ἐλάττωσι.

Sed & illud (5) sudorem signum esse morbi: ὅτι ἐν τῷ σώματι ἰδρωῶδες ἐκπαύσει φέρει τὸ νόσον & sudorem guttatim effluentem, signum esse magnæ exercitationis: ὁ ἰδρωῶδες ὁ ῥέων ἐγγύθην ἐν γυμνασίοισι σημεῖον vid. idem Aphorism. 1. 4. 38. in Coacis l. 2. p. 161. & alibi. (6.) quosdam ἰδρωῶσαι αἰματώδεις περιτώματι Διὸ καχεξίας καὶ Διὸ τὴν τὴν ἰσχυρότητι ὀλιγότῃ i. e. exsudare quosdam cruenta effluvia ob pravam dispositionē & calidi parvitatem. Omnia hæc eminenter ad sudorem sanguineum Servatoris explicandum conferre licebit. Meretur sane is longè maximam considerationem. Meretur pium scrutinium origo & fons sudoris, agon sc. ille inexplicabilis, ac terminus, hortus. Meretur meditationem color, an fuerit sic αἰματώδες περιτώματι, prout ille sudor sanguine infectus ab Aristotele notatus? Meretur ipsa quantitas, quæ non tenuis: sed crassa & grumosa fuit. Meretur vehementia & celer impetus, sudoris venerationem, qui Messæ quidem patienti videbatur exitialis futurus: at nobis, etsi non tenuis, non minus salutaris: sed & quomodo in ipso Servatore nostros morbos bajulante fuerit ille sudor, guttatim, imò grumatim sese effundens, signum morbi, & ineffabilis gymnasti s. exercitationis? hoc vel sola agonis historia loquitur. Nos illa paucula saltem ad eminentiam mysterii piè adumbrandam huc apponere voluimus.

§. 3. Benè Luth. illud ἐξέτετο, expressit factura vocabulo, non simplicis existentia, Sein Schweiß ward. Prout sc. supra. notati sunt gradus angoris, precum fervoris: ita hic sudoris. Et ita fuit quidem sudor quoq; ante hanc agoniam: imò ἰδρωῶδες αἰματώδης

D

scu

seu in sanguinem exiens: sed qui, simul Servator ἐξῆλθε ἐκ ἀγῶνός, s. constituitur in hac agonia, amplius excrevit, & desit in ἰσχυρῶσιν, s. concrevit magis in grumos. Facit illa gradatio contra defensores simulacri sanguinis, & hujus ἰσχυρῶσιν in hoc sudore, juxta quos Lucas vehementissime exaggeraturus sudorem agonis, nihil aliud ad substantiam sudoris faciens expresserit, quam ipsum sudorem, de quo non nisi accidentaliter (per modum sive qualitatis sive quantitatis) cetera prædicentur: imò juxta quos nulla satis ratio memorati sanguinis, cum non solum in sanguine: sed & aliis liquidis detur ἰσχυρῶσιν, unde & Justinus in Dial. cum Tryphone omisit sanguinem: ἰδρῶς ὡς ἐν ἰσχυρῶσιν κατὰ τὸν αὐτῶν ἐυχουένης, i. e. sudor ad instar grumorum decidit illo precante.

S. 4. Illud ὡς ἐν ἰσχυρῶσιν non est h. l. Character assimilativus, ut inter sudorem, & sanguinem sit comparatio accidentalis, sive respectu quantitatis (sc. grumorum, ut sensus sit: Christi sudorem adeò crassum fuisse, ut similis quodammodo videri potuerit grumis sanguinis in terrâ concrescientis) sive qualitatis (sc. rubicundi & sanguinei quodammodo coloris) sed veri (sanguinis ἰσχυρῶσιν) expressivus. Equidem ex abstracto posito ὡς ἐν ἰσχυρῶσιν non magis probatur verus sanguis, quam simulacrum sanguinis: prout enim in linguâ V. T. datur eadem particula וְכִי / כִּי seu similitudinis & כִּי אֱמַתָּה i. e. veritatis & asseverationis (e. c. Psal. CVI. 13. טַעַם i. e. omnino pauci, ipsa paucitas) ita in libris N. T. datur ὡς & ὡς ἐν, aliquando assimilationis: aliquando ipsius veritatis s. identitatis vid. Joh. I. 14. Lucæ III. 21. c. XXIV. n. & contra. Si quis tamen quod fieri solet, grumosi sanguinis veritati, quæ rectè creditur, opponere velit illud ὡς ἐν, hoc ipso facilimè retunditur, quomodo Grotius (juxta quem non solum sudor hic non fuerit sanguineus: sed nec habuerit colorem sanguinis, vel aliquid sanguinis immixtum, quod in morbis etiâ naturali modo contingere posse ex Aristotele notavimus) urget, non scriptum: ἐξῆλθε ἰδρῶς αἰμαῖος: sed ὡς ἐν ἰσχυρῶσιν αἰμαῖος. Scilicet, licet sudor vix soleat ἰσχυρῶσιν, sudorem tamen Christo in illa agonia expressum, non tenuem; sed crassum fuisse & ha-

& habuisse figuram grumorum, quales e. c. sunt sanguinis in terram ca-
dentis, ut sic concedat quidem Grotius *Ἰερόμοειδῆ ἰδρωῶτα*, vel sudo-
rem grumosum, ad modum grumorum sanguinis: sed non sudorem san-
guinis. Allegat etiam Theophylactum, qui, *paremia*, inquit, *est in*
his, qui valde laborant, ita ut sanguinem sudent: addit Theophyl. Indi-
care voluit Evangelista, quod fluentem fortiter sudorem stillaverit, &
secum quasi rivus sanguinis collegerit.

§. 5. Non adeo convenit sive Syrus reddens *Ἰερόμοειδῆ*
(etsi Tremell. generaliori demissionum vocabulo expressit vocem Sy-
ram) sive Vulgatus (etsi nec abit in Germanicâ Lutherus reddens:
Blutstropfen) illos *Ἰερόμοειδῆ* explicans per *Guttas*, (nisi crassas
valde intellexit, prout versio Belgica) cum aliud sit in Lin-
guâ & usu Magistrorum *ὁ ἰδρῶς ὁ ῥεῶν σπείγδῃ* i. e. *sudor guttatim*,
effluens, ad quem ne quidē requiritur tanta *πυκνότης* i. *crassities*: aliud
Ἰερόμοειδῆ vel *ἰδρωῶς ὁ θερμοβωδῆς* i. e. *sudor concrescens in grumos*.
Ἰερόμοειδῆ non est propriè *gutta*: sed *grumus*, & non solius sanguinis.
sed & aliarum specierum. Ita dantur *θερμοβωῖ* salis, quomodo Sy-
das meminit *Ἰερόμοειδῆς ἁλῶν* i. *grumos salis*, qui nihil aliud sint, quàm
πυκνὸς ἁλῆς i. *sal crassus*, *sal grumosus*. Ita ubi lac in mammis nu-
tricum densatur, & in exigua frustra concrescit, *Ἰερόμοειδῆ* appellatur.
Sic *Ἰερόμοειδῆ ἁίματος* non sunt *gutta sanguinis*: sed, prout rectè
Helychius, & Galenus, ipsum *ἁίματι πικρὸν καὶ πεπηγὸς ὡς βρωτὸν*
i. *ipse sanguis crassus s. concretus, ipsi grumi & frustra sanguinis in unam*
massam concreti. Fuerit adeo hic sanguis Jesu *Ἰερόμοειδῆς*, i. *gerens*
grumorum speciem, & hanc non assimilativam saltem: sed & realem, ita
ut sudor ille simul emanavit, in ipso corpore, iverit non solum in
sanguinem (quia eruentus jam exivit) sed in *grumos concreti terrore*
sanguinis. Hæc sc. est *Ἰερόμοειδῆς ἁίματος*, cum sanguis ex vehe-
mentiâ affectus interioris à venis suis effusus, inq; vicina spatia ab-
scedens, coit atque condensatur in frustra.

§. 6. Observavit illud eruditè, nec minus explicuit reveren-
ter magnus noster Chemnitius quando, in *Locis Theologicis* p. 69. art.
de *Filio* n. 4. certam, hæc notavit. In *Christo, cum agonia prolixior es-*
set, tunc



set, tanta facta est resolutio, ut nec cor, nec vena sanguinem retinuerint: sed is tanquam θρόμοι decurrevit. Significat autem illud vocabulum, cum aliquid distillat, & in ipsâ distillatione, per frigus spissatur & concrescit, ut in salifodinis fossilibus distillat humor salsus, qui cum concretus & spissatus est, vocantur θρόμοι ἀλός apud Svidam. Varinus: θρόμοι πεπηγὸς αἷμα. Ita cum in Christo magna illa maestitia omnem calorem retraxisset, sanguis resolutus in guttas spissatus est. Sed pugnare videtur, quod in magnis & repentinis consternationibus incisâ venâ sanguis non effluit, neq; expellitur: sed quasi concretus in ipsâ venâ consistere videtur. Est autem illa vera responsio: in Christo fuisse non tantum ingentem maestitiam: verum etiam magnam lucem cum consternatione conjunctam, quod voluit patri illam obedientiam præstare, & ex istis contrariis motibus qui vehementiores fuerunt, facta est talis expulsio concreti & spissi sanguinis. Hæ physice considerationes non sunt aspernandæ. Deducunt enim nos ad qualemcumq; si non cognitionem, tamen considerationem agonis Christi.

S. 6. Notamus ultimò, veram lectionem Græcam non esse θρόμοι αἷμα κατὰ βαίνοντες (prout Vulgatus expressit: sanguinis decurrentis) Sed κατὰ βαίνοντες i. e. ipsi grumi sanguinis descendentes, sic ut referatur immediatè ad grumos s. θρόμοις, & adeò jam in descensu fuerint θρόμοι: non demum post descensum in terrâ sint facti. Ad Νῆν vel sanguinem Syrus quoque retulisse videtur, certè non ad grumos, nec sudorem, ut tamen non neget Syrus, guttas sanguinis, vel sanguinem guttatim cecidisse in terram, & adeò juxta Syrum, quia verè sanguis cecidit in terram, & quod cecidit in terram fuit ipse sudor, non potest non concludi: illum sudorem fuisse verè sanguinem. Frustra excipit Grotius, sensum esse apertiore, si legatur κατὰ βαίνοντες. Quomodo autem apertior? Quia (respondet) θρόμοις est αἷμα πεπηγὸς (Hoc quidem oprumè) at sanguis demum: ubi in terram cadit, videtur θρόμοις. Hoc verò & in experimentis physicis fallum: quid enim obstat θρόμοις sanguinis fieri in ipso corpore? & si daretur, in terrâ maximè conspici θρόμοις s. grumos ubi jam deciderunt, quid inde ad negationem grumorum in iplo jam descensu? sed & constans lectio

καταβαίνοντες hoc refellit, cum juxta illam interpretationem' nec legendum fuerit καταβαίνοντες, nec καβαίνοντες: sed καταβαίνοντες.

III.

EXEGESIS THEOLOGICA

§ 1. Jam in coenaculo Hierosolymitano decantatum erat à Christo & Apostolis *hymnus*, (quem unum vel alterum ex Davidicis paschalibus Psalmis e. c. 114. & seqq. fuisse, quàm recens tunc à Servatore compositum, credibilis est) Jam absolutus ille Christi cum Petro dialogus, in quo Petrus Christi thesi, quæ erat: *omnes Apostoli ista nocte offendentur in Jesu*, ejusdemq; *Prophetica* ex Sachariâ confirmationi, imò & per *Galicini* signum asseverationi, iteratis vicibus & directâ formaliter contradictione (*Non omnes offendentur, quia non ego*) oblocutor, non tantum hâc ipsâ oblocutione, eademq; iteratâ & Christo & Spiritui S. cujus testimonio Christus fuerat usus, oppositâ, peccavit: sed & illo ipso, quod hâc suâ præfidentia alios Apostolos alioqui Servatori contradicere haut ausos, ad par ostentamentum fortitudinis provocavit conf. Matth. XXVI. 30. & seq. Marci XIV. à 26. ad 32. Jam ventum ad hortum regionis Gethsemane, inter torrentem Cedron & montem olivarum. Jam collocati Apostoli, & ad vigilandum magnâ voce provocati, quando adhibitis inprimis Petro & Zebedæidis s. Johanne & Jacobo Apostolis, cœpit λυπεῖσθαι, ἐκ θυμῷ βεβῆσθαι, ἀδημονεῖν, i. e. Intimè tristari, pavore percelli, angore quasi exanimari, & audita est illa Turcuris vox: *undiquaq; tristis est anima mea usq; ad mortem.* Inde ergò agonia, & in hâc flebilis illa Servatoris in genua prolapsi, *calicem deprecantis*, cum ipsa morte & inferno luctantis, Elegia, bis auditâ cœlo illa voce, quæ incipit: ABBA ὁ πατήρ si possibile est, calix iste transeat! Si autem, quin bibam, abire non potest, FIAT VOLUNTAS TRAE! Matth. XXVI. à 36. ad 44. Marci XIV. à v. 32. ad 42. Luc. 22. 39. ad 43.

§ 2. Et hic quidem Servatori ἠλατρωμένῳ βραχύτι παρὰ Ἀγγέλους in ipso hoc angore, & agoniâ, conspectus est de cœlo Angelus (visione sane in specie corporali humanâ, etsi non per modum tunc servientis, ad confirmandum fidem discipulorum, quod sit eminentior Angelis ratione divinitatis, prout in h. l. notavit Lyranus) quiescente divinitate,

D 3

animâ

animâ laborante, toto ædificio corporis ruinam meditante, *didit* partim partim *factis*. *Jesum* modo specialiter inexplicabili corroborans : cæterum, ut nec angor nec agonia sic cessaret, quin hæc ipsa invalesceret in quâ vehementiore *lucta intensius* precator Christus, *tertiâ* vice, edidit illam *stabilem* elegiam, non jam in *genua* solum prolapsus, sed toto corpore, ipsaq; adeo *facie* terram tangente, *prostratus*: ubi dum nec cor, nec venæ sanguinem retinuerunt: sed hic undiquaq; in *sudorem* exivit, emanavit *grumosus* ille sanguis, qui, & ipse adeo *sudor*, verâ specie non *ὄμωνύμεως*, vel solâ apparentiâ, sanguis, *in terrâ cecidit*.

§. 3. Quatuor adeo hic admiranda (1.) agonia, 2. Sudor sanguineus. 3. Confirmatio Angelica, 4. precatio vehementissima. Stabat sc. tunc coram judicio Dei, velut reus omnium atrocissimorum scelerum, blasphemiarum, quæ DOMINO impo-nente irruerant in JESUM, agnum illum Dei, *portantem peccata mundi*. Experiebatur universam iram infiniti Dei, pœnas verè infernales, nec unius Latronis, adulteri, blasphemi: sed totius mundi, prout nec bajulavit unius peccata: sed *totius mundi*, idq; verè & realiter, *DN* prout Esai-as præmittit. Inde horror, angor, consternatio ingens. Hinc illæ *lærymæ* & *stebiles*, quibus *calicem* seriò fugit & deprecatus est, *elegia*. Hinc ab Angelo facta *corroboratio* Angelorum DOMINO. Inde ille *agon*, & *agonis* ineffabilis signum *sudor sanguinis*: sed *grumosus*. Fuit sc. non solum *consternatio ingens*: sed & cum consternatione, *lucta* vehemens, ex quibus contrariis: sed sine inordinatione, motibus vehementioribus, facta est *expulsio* illa *concreti, spissatiq; sanguinis ipsiq;* adeo *ὄμοιοι αἵματι* in terram cadentes. Utriusq; & *consternationis*, & contra hanc *lucta* character, præter sanguinis argumentum, in ipsâ *Litaniâ* Dei precatoris. Illius in verbis: *Omnia tibi sunt posibilia* (etiam, quæ ex hypothesi decreti cœlestis irrevocabilis, & prædictionis Prophetarum infallibilis, quandoquidem *ἀδύνατον ψεύσεως Θεῶν*, sunt necessaria s. immutabilia) Igitur (1.) *εἰ δύνασθον* & *εἰ ἐθέλει*, i. e. *si possibile est & si vis, abeat à me calix!* Hujus in verbis: *Non mea: sed tua voluntas fiat*. Adeo sc. sanctissima Christi anima ex respectu voluntatis & consilii salutaris divini seiplam in *UN* s. *reatum* abjectura, luctata fuit cum ira Dei, inferno, Diabolo, peccato, & cum

quâ

suâ ipsius voluntate, ex respectu horum summè terribilium calicè fugi-
 ente, & in imminentissimo nunc malo, intime conternatâ, ut hæc illis
 formidabilissimis territa *obluctata* fuerit illi voluntati parendi, & in tantû
lucta reciproca: sed volûtas Deo subordinata. Nondû Judas aderat ligaturq,
 nondû Cajaphas ῥαπισματα, colaphos, spura, permitturus, & blasphemias,
 reum acturus. Nondum flagra, spinas, crucem, clavos licetor objecerat. Et
 men totus in angore & agone Christus: totus jam sanguinem ex-
 sudat. Totus in terram se abjicit precator, & vermis, inquit, ego sum,
 non homo, factus ipsis angelis admirabile theatrum. Nullus, sive cla-
 vis, manus pedesq;, sive lanceâ latus transverberat, expressurus sangui-
 nem. Et tamen totus in sanguine Christus est, verè nobis SPONSUS
 SANGVINIS. Stetit deinceps magnus & impavidus confessor, coram
 Pontificibus, Pilato, ipsâ flagellorum ludibriorumq;, patientia fidelis; silen-
 tio in stuporem dans Herodem, Pilatum, Pontifices, prætorianos, & ad pa-
 lum deligantes milites. Hic, dum nullus adhuc adest Carnifex, cla-
 mat: *anima mea est circumcirca tristis*. Hic λυπέται, ἐκταμῆται,
 ἀδημονῶν, lacrymatur toto corpore sanguinem: precatur totus
 in terram prostratus, talemque gerit, ut extra confirmationis privilegi-
 um & revelationis firmamentum si fuisset, non hominibus (Aposto-
 lis) solum: sed & Angelis divinitatis suæ fidem imminuere vel la-
 befactare potuisset. Ita passus hic in horro coram tribunali imme-
 diato irati Dei, quæ non deinceps nisi in *Cruce*, & in hac proclamata de-
 relictione. Cogitanda hæc reverenter, & admiranda, non autem
 extenuanda est hæc Filii Dei humilitas, & tam hujus patientis, quam
 Patris proprio Filio non parcentis: sed pro nobis omnibus ipsum Fili-
 um, sacrificium se pro reatu exponentem, tradentis, & sic contentis,
 ineffabilis Φιλανθρωπία, i. charitas, ac de cætero agnoscendum,
 quod de mysteriis his universè olim per Macarium contra Aria-
 nos confessi sunt Patres Nicæni: Τὸ παντελῶς κατὰληπτικὸν ἔ-
 μνηεῖς ἐκείνῃ, πῶς γίνονεν, εἶδεν αἰθρώπων ἐδὲ Ἀγγέλων
 ἐδείς, ἐδὲ αὐτὸς Γαβριήλ ὁ Διακονήσας τῷ μνηεῖα ἐκείνῳ.

IV. USUS.

De tota Scripturâ Cononicâ prædicat Apostolus 2. Tim. III
 16. quod

16. quod sit (1.) θεόπνευστος (rectè enim hoc ad *predicatum*, contradicente Grotio, referunt Chryf. Theophyl. ex Pontif. Erasim. Estius) s. tam quoad *res* s. *sententias* ipsas, quàm quoad *verba* *singula* à Spiritu S. profecta, vel inspirata. (2.) ωφέλιμος i. utilis (& quidem sic, ut sequatur effectus perfectus s. ἀγιος Dei homo & ἐξημερωμένος) ac omnibus adeò numeris *perfecta* & *sufficiens*. Ωφέλιμος illa i. **USUS** *quadruplex* statim subicitur, nec sine eleganti, qualem perfectio requirebat, proportione & reciprocatione. Prout sc. omnia Christianismi, ipsiusque salutis adipiscendæ, vel ad *doctrinam* Christianam pertinent, vel ad *vitam sanctam*, & iterum *ibi*, vel ad *verum* amplectendum, vel ad *falsum* evitandum: *hic* vel ad *bonum* eligendum, vel ad *malum* s. inordinatum corrigendum: Ita respectu *doctrinae*, & ratione ipsius *veri explicandi*, obinet Usus primus sc. διδασκαλία s. *doctrina*; ratione *falsi evitandi* s. *confutandi*, usus 2. sc. ἔλεγχος s. *redargutio*; respectu autem *vite*, sub ratione *mali corrigendi*, usus 3. sc. ἐπιμόρφωσις s. *correctio*; sub ratione *boni inculcandi*, usus 4. sc. παιδεία ἢ δικαιοσύνη s. *institutio in justitiâ*: ut sic ratione *objecti* formalis, oppositio sit inter *διδασκαλίαν* & *ἔλεγχον*, item *ἐπιμόρφωσιν* & *παιδείαν*; ratione *subjecti* tamen proximi, & finis pulcherrimus consensus sc. intellectus ad verum Theologicum determinatus, & voluntas conformata Deo: prout ratione *modi* formalis ut positivi, pulcherrimè conveniunt *διδασκαλία* & *παιδεία*: ut destructivi *ἔλεγχος* & *ἐπιμόρφωσις*. Sub illis continetur quid sive *credendum*: sive *faciendum*: sub his, quid sive *in doctrinâ*, sive *in vitâ fugiendum*, quem quadruplicem usum aureoli præsentis de AGONIA hæc JESU & sudore sanguineo, in sequentibus specialiter, ipso DOMINO JESU volente! expediemus.




Ad Præstantissimum DN, RESPONDENTEM
J. SCHRODERUM GUSTROVIENSEM
SS. Theol. laudatissimum Cultorem.,

Gratia fit Cœlo! terris his reddita PAX est
Quam nuper lætæ consonuere tubæ.
Ira DEI precibus tandem placata piorum,
Aut etiam nostris est satiata malis.
Quis non de tanto nunc munere lætus ovarer,
Laudandæ cui non sufficit una dies?
Gratamur meritò PACIS tam nobile donum,
(Quæ pia, quæ stabilis, sceptrâ domosq; juvat)
PRINCIPIBUS DOMINIS populo Varnoq; SERENIS
Quos verus & major nunc novus urit amor
Inter CHRISTIANOS, GUSTAVOS inter ADOLFOS
Vandalici verè sidera prima poli
Hæc (precor) ÆTERNOS CONCORDIA DURET, IN
ANNOS
Nunquam solvatur, qui benè constat, amor
COMMUNEM POPULUM COMMUNI LEGE GU-
BERNENT
Auspicioq; pari subdita colla regant!
Et memorare VIROS fas, GALLI maxima REGIS,
PRINCIPIS, huc misit, quos, UTRIUSQUE DOMUS
QUI TERRIS MULTOS UT CONCEDANTUR IN
ANNOS
ET REPETANT LÆTI SIDERA SERA, precor.
TU

TU *Procerum* mensis apponis nobile sacrum,
Quod PATIENTIS habet maxima signa DEI
SANGUINEUS SUDOR, DOMINO dans *robora* servus
ANGELUS, & JESU grande PRECANTIS AGON.
Sit felix! poteris tanto de fonte *valere*
VULNERE de DOMINI qui valet, ille valet.


Honori & amori erga Praestantissimum DN. RESPON-
DENTEM, quod debuit L. M. Q. inter occu-
pationes celerrimè sic adumbravit

A. VARENIUS.


E *Gregium moliris opus Schrodere colende,*
Cum cathedram scandens doctè, proponere tentas;
Sanguineus Christi sudor quid, curq; profusus.
Christi adum est etenim Jesum servare cruentum.
Devoto sub corde diu, semperq; referre.
Roborat bocce fidem multum, mentesq; sacratas
Ingenerat, simul & mœrentia pectora mulcet.
Ausibus hisce Tuis applaudens pectore posco;
Sit patiens Jesus praesto tua cœpta secundet
Et tandem studiis dignos concedat honores.

Hisce Pereximio Dn. Respondenti, Amico suo honoratissimo

M. Zacharias Grapius, Log. P. P.


P *Ecctai mors atra comes: sed spicula mortis*
Tollit, cui mortem pessimam obire placet.
Sci ergo mortem vitâ compensat JESUS:
Morte suam mortes ad Garamantas agit.
Sanguinis hæc vis est, SCHRODERE! ostendis id ipsum.
Applaudo! en adsunt præmia. Perge viam!

Stephanus Masius.





Ad Praestantissimum DN, RESPONDE
J. SCHRODERUM GUSTROV

SS. Theol. laudatissimum Cultorem

GRatia fit Caelo! terris his reddita PAX e
Quam nuper lætæ consonuere tubæ
Ira DEI precibus tandem placata pioru
Aut etiam nostris est satiata malis.

Quis non de tanto nunc munere lætus ovaret,
Laudandæ cui non sufficit una dies?

Gratamur meritò PACIS ram nobile donum
(Quæ pia, quæ stabilis, sceptrâ domosq;
PRINCIPIBUS DOMINIS populo Varnoq;

Quos verus & major nunc novus urit am
Inter CHRISTIANOS, GUSTAVOS inter
Vandalici verè sidera prima poli
Hæc (precor) ÆTERNOS CONCORDIA

ANN
Nunquam solvatur, qui benè constat,
COMMUNEM POPULUM COMMUNI
BERN

Auspicioq; pari subdita colla regant!
Et memorare VIROS fas, GALLI maxima
PRINCIPIS, huc misit, quos, UTRIUSQ;
QUI TERRIS MULTOS UT CONCED
ANN
ET REPETANT LÆTI SIDERA SE

